habere clementer velit. Sic Deus T. O. M.
Serenissimæ Tuæ Celsitudini cum dilectissima con-
juge et prole, totaque Illustrissima Palatina fa-
milia coelitus uberrime benedicat: eandemque in
plurimos annos prosperrimæ Palatinatus guber-
nationi incolumem florentemque conservet. Amen.
Heidelbergæ XIV. April. 1614.

175. Serenissimo Principi ac Domino
Domino Johanni Georgio Duci Saxoniæ etc.
S. Romani Imperii Electori etc.

Gratiam et Pacem à Domino nostro
Jesu Christo!

Serenissime Princeps Elector: Quoniam reipsa
proh dolor, deprehendimus, graves ac diuturnas illas
Evangelicarum Ecclesiarum dissensiones in et extra
Romanum Imperium, indies Evangelicæ doctrinæ
cursum vehementer impedire, nec parum obfir-
mare animos Papistarum, quibus nos hac ratione
ludibrium ferè fieri solemus, sicuti minime dubi-
to, quin Serenissima Celsitudo Tua hanc Ecclesiæ
calamitatem et probè intelligat, et pro eximia
sua pietate et zelo erga evangelii doctrinam
ad exemplum gloriosissimæ memoriæ Principis
ac Domini, Domini Christiani I. parentis sui,
nihil magis in votis habeat, quam ut tandem
in unitatem fidei dissidentium animi firmi-
ter coalescant: ego quoque ita requirentibus voca-
tionis meæ partibus, desideria pectoris mei in sinum
Ecclesiæ effundere non dubitavi: ac pro mensura dono-
rum Jesu Christi Irenicum hoc de pace Evangelicorum
feliciter concilianda ante annos octo conscripsi, ~~[illegible]~~
ita, interea temporis sæpius ad Christianæ modera-
tionis limam revocavi: donec nuper ita judicantibus
superioribus visum fuit publicis typis illud vulgare.
Quare

Quare Serenissime Princeps Elector, certâ fretus spe atque fiduciâ hunce meum laborem, quem soli Eccle- de Ao 1614
siæ atque Evangelicæ doctrinæ propagationi impende-
re volui, Sereniss. Cels: Tuæ consecro et offero, humil-
limè rogans, ut clementer eundem suscipere ne dedigne-
tur, atque ubi sententiam libri vel ex consilii sui sin-
cera relatione cognoverit, ostensas pacis Evangelicæ
rationes juxta cum reliquis Christianis Regibus ac Prin-
cipibus, quibus itidem irenicum hocce meum, eâ, quâ
par est, animi demissione commendavi, pro Celsissimâ
sua authoritate promovere pergat: immortalem
inde in Ecclesia et Republica Christiana laudem con-
secutura: quæ simul cedet ad Dei O. M. et Filii
ejus unigeniti Jesu Christi Servatoris nostri glori-
am in omnia secula celebrandam. Dominus Jesus
Seren: T. Cels: cumulatissimè benedicat, Spiritu
tu sancto regat, incolumemque diu Ecclesiæ et Reip.
conservet. Heidelbergæ a. d. VIII. April. Anno ultì-
mæ Dei patientiæ 1614.

Serenissimæ T. Celsit:
Subjectissimus
David Pareus S. Theol:
in Academia Heidelbergensi
Professor Senior.

Reverendissimo in Christo Patri, 176.
D. Andreæ Knoxio, Insularum Scotiæ,
et Ecclesiarum Dar. Rif. x. in Hibernia
Episcopo: Regiæque Majestati à consiliis in-
timis: Gratiam à Domino!

Reverendissime in Christo Pater. Cum superiori
Augusto in meo Decanatu promulgatis ex more
Facultatis nostræ Legibus, Studiosos S. Theologiæ
ad matriculam invitassem: inter alios nomen pro-
fessus esse Thomas Knoxius Scotus, filius Dignitatis